Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1449
Quelle:
Copyright:

dum erat mortificatum, ſed hac nocte tradi debuit, et interdiu morte affici, mortale, in Virgine conceptum de Spiritu ſancto, ſumi, et manducari, dum Panis iſte porrigitur, ſimul hoc tale Corpus per fidem dictis Verbis dominicis: *Hoc eſt Corpus meum* &c. Tractat dein ſeptem Cauſſas inſtitutionis hujus Sacramenti, totidemque Neceſſaria ad dignam ejus perceptionem, et concludit formula, quam latine damus: *Finitum in querimonia vitae et mortis, die XXI. menſis Aprilis: et inchoatum circa diem XXIII. menſis Martii. Anno Domini 1562. Eſt et correctum.* Libellum ab Homine, quocum et *Jeſuitae* et *Utraquiſtae* incaſſum egerunt, aut *Pragae*, aut *Bürglicii* in liberiore cuſtodia ſcriptum fuiſſe colligo. Commendatur ille a ſtilo ſimplici, terſo et correcto, quae vulgo Scriptorum hujus Sectae laus eſt, obſervaturque in Codice noſtro *L* molle peculiari forma extrorſum uncato apice ab *L* duro diſtingui. Involucrum, quo tegitur, Fragmentum latini Tractatus *de Fide et Poenitentia* eſt, atque, ut mihi videtur, profectum ab eadem manu, quae facile ipſius ſit *Auguſtae*.

DCXXVII.

R. 1284 Codex chartaceus boh. Sec. XVI. Folior. 143. 8. currente calamo ſat nitide ſcriptus titulum praefert: *Piſňe Bratra Jana Auguſty Kteréž Dělal vwězenj*, id eſt: *Cantica Fratris Johannis Auguſtae, quae fecit in carcere.* Dixi jam aliquid Cod. praeced. de iſto Fratrum *Boh.* ſeu *Moravorum* Antiſtite, cujus Vita et Scripta recenſentur in *Abbildung. Böhm. und Mähr. Gelehrt.* P. II. *Prag.* 1775. p. 67. 8. ubi tamen Cantilenarum praeſentium nulla peculiaris memoria. Agunt eae de praecipuis Religionis chriſtianae Capitibus, adjectis ſaepe Notis muſicis, et duas Partes conſtituunt praepoſtere, ſi tempus ſcriptionis ſpectes, in Codice compactas. Nam *Pars* II. ut habetur in calce, ſcripta eſt 1562. a 6. ad 24. *Junii*, Pars vero I. finita dicitur eodem anno 27. *Julii*, quo die, ut additur, D. *Catharina Sternbergia* cum D. *Philippina* fortaſſe filia *Praga Hradecium* venit. To *Hradek* arcem *Bürgliciam*, captivitatis *Auguſtae* locum, innuere videtur, quae alias *Krziwoklad* adpellatur.

DCXXVIII.

Codex chartaceus boh. Sec. R. 1221
XVII. Folior. 180. 4. prius Collegii S. J. *Viennae* Titulum praefert: *Retunkh Proti Antykryſtu a Swodum gebo Kteryž wzarmuczenych Tiechto cžaſych mnohym kzabinutj neſſlaſſtne ſe rozmahagi, a negednech od Wyry odſtupowani ſe dege.* &c. Quaſi dicas: Conſilium eripiendi (germ. *Rettung*) contra Antichriſtum et ſeductiones ejus, quae triſtibus hiſce temporibus (*Ferdinandi* I. ut videtur) in multorum interitum tam infeliciter augentur, ut nonnulli a fide recedant.